

tus permisso non ædificandas attinet , nil esse cur Pontifex conqueratur : ne privatos quidem homines aliquid in domo sua vel agro moliri , insciis se ac renuentibus pati ; saepe basilicas ac templa in munitis oppidis publicæ securitatis detrimento erecta ; bisce incommodis obviam ire munus Principis esse : in urbe non modo verum in toto imperio Veneto immanni fere sumptu excitatas , ac magnificentissimo ornatu excultas ædes sacras conspic , ut aliis substruendis locus fere non sit ; religiones novisque hominum cœtus , vel inconsulto vel abnuente Principe , ex quibus crebro ingentia mala acciderint , civitatibus excipi æquum non esse ; recentibus inductis , vetera sanctitate probata loca obsolescere ; provenitus piorumque largitiones veteribus novisque sustentandis artas esse : de bonis vero non alienandis plurima a majorum prudentia , ad subjectos sublevandos , ad Rempublicam terra marique gravissimis exhaustam sumptibus tuendam , sancita extare , ne brevissimo temporis intervallo cuncta in ecclesiasticos laberentur , qui immensis prope divitiis aucti , præcipuam atque opimam agrorum partem possideant ; nonnullas bisce legibus Reipublicæ civitates uti , apud omnes nationes servari : ceterum eam in Senatu pietatem vigere , vt si quid petitum ab eo fuerit , ultro se liberaliter concessurum pollicearur : bis atque aliis ab oratore uberior explicandis sperare , ut fronte serena in Rempublicam , a majorum suorum pietate minime degenerem , Pontifex oculos flectat , qui saepius pro Apostolicæ sedis dignitate hostibus pectora objecerint , vitam cum sanguine intrepide profuderint , idem praesentes quoque , si se occasio dederit , non dispari ausu , non minore magnanimitate facturos .

His attente perlectis , Paulus , neque rationibus neque officio permotus , vehementius excanduit . Non verbis , at rebus satis sibi fieri , flagitare ; quod pontificium munus ac dignitas postulet , facturum minari ; in Deum Optimum Maximum cuius causa ageretur , curam omnem atque solitudinem rejecturum . Aestuantem Pontificem sedare ac diligere Nanius adoptus , ne acerbe admodum cum obsequentiissima Republica agere velit , emixe rogat : quanti vel publicæ quietis vel Italiz libertatis intersit , ut indissolubili nexu